DIALOGUS

QUI DE ORATORIBUS INSCRIBITUR

QUO IURE TACITO ABIUDICETUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

GE. OTTO FRANC. WACKERMANN.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXIV.

> Πάντα γὰρ σχεδὸν εὕρηται μέν,
> ἀλλὰ τὰ μὲν οὐ συνῆκται, τοῖς δ'
> οὐ χρῶνται γινώσκοντες.
>
> Aristoteles.

Omnium ingenii monumentorum, quae ex argentea quam dicunt litterarum romanarum aetate nostris temporibus tradita sunt, inde ab antiquitatis studiis expergefactis et restitutis nullum fere saepius a viris doctis tractatum, nullum accuratius diversissima ratione disceptatum et explicatum est quam dialogus, qui de oratoribus inscribitur, Taciti nomini vulgo adscriptus. Ac de gravitate libelli, quanti momenti sit argumentum, de quo disputatur, quot quantaeque sint sermonis virtutes, quam praeclara stili elegantia iam nihil est, quod in dubio ponatur. Nam etiamsi nonnulli viri docti, in quibus non ignobiles Ernestius et Klossmannus (in „*Ruperti opera Taciti*“), arbitrabantur dialogum de oratoribus multis vitiis et in verbis et in sententiis laborantem minimi esse pretii, latinitatis iamiam labentis documentum atque idcirco neque verum primi imperatorum romanorum saeculi speculum habendum neque ulli praeclaro eius aetatis scriptori esse adiudicandum: tamen hae opiniones eorum sunt, qui singulas libelli partes optime connexas inter se et aptas aut non rectius perspexerunt aut perspicere noluerunt neque totum argumentum eiusque enarrationem perpensa habuerunt. De quovis autem ingenii humani opere a nonnullis pravam aliquam et vanam opinionem sequentibus similiter falso modo diiudicatur; sic, ut unum afferam exemplum, Ludenus, vir alioquin acris ingenii, Taciti Germaniam opinatur commentarium esse rerum

sine ullo consilio ac ratione hinc illinc collectarum et conscriptarum, cum inter omnes constet compositionem et constructionem sententiarum in ea non esse fortuitam, sed certo et optimo consilio institutam. Semper vero tales errores rarissimi sunt; et ut nostris diebus pauci sunt, qui Ludeni istam opinionem admirentur vel defendant, sic de laude dialogi de oratoribus, „*aureoli libelli*,“ et si non integra et incorrupta forma servati, iam omnes fere consentiunt; neque errant, reor, qui pro communi de illo libello omnium iudicio ponunt haec Bernhardyi in „*grundriss der röm. litteratur*“ p. 625. (ed. anni 1850.) pronunciata: „*der dialogus de oratoribus ist eine der geistreichsten schriften aus der römischen litteratur; mit männlicher kraft und geschickter charakteristik, in einem lebhaften, oft empfindsamen tone zeichnet er bilder aus der nationalen erziehung und bildung, deren mittelpunkt eine an gedanken, vortrag und gesinnung gleich vortreffliche parallele der republikanischen und monarchischen beredtsamkeit ist, ein ehrenhaftes denkmal aus dem schlusse des ersten jahrhunderts*“. Quod igitur attinet ad virtutes disputationis, ad sermonis elegantiam verborumque splendorem, vel plurimi viri docti idem sentiunt: dialogum de oratoribus inter litteras romanas non infimum locum obtinere (cf. Ecksteinii „*prolegomm. in Taciti qui vulgo fertur dialogum de oratoribus*“ Halis Sax. 1835. p. 33.).

Alia vero quaestio non minus gravis atque multo difficilior nondum omnino est diiudicata, quamquam saepissime disputata: quis enim auctor sit praeclari libelli, adhuc sub iudice lis est. Quam quaestionem maximi esse momenti nemini non apparet: nam auctorem tam illustris scriptionis cognovisse cum ad scriptorem ipsum, cui adiudicanda est, melius intelligendum permultum iuvat, tum toti aetati, cui debetur, litterarumque in illa conditione propriam lucem affert. Neque omnino sunt leves istae de auctore dubitationes vel temerariae; nam permulti viri docti neque exiguae auctoritatis diversas causas attu-

lerunt, ut alii alium eligant ex argenteae latinitatis scriptoribus dialogi auctorem. Itaque iam operae pretium est totam de dialogo quaestionem nondum confectam denuo movere et singulas sententias hac in re prolatas puro iudicio examinare et diligenter animo perpendere.

Atque primum quidem videamus, quaenam sint causae, cur viri docti hac in dubitatione haeserint atque haereant. Neque enim sine nomine auctoris libellus traditus est; sed in plurimis codicibus manuscriptis — sunt autem quotquot novimus undecim, in quibus inest — vel una cum Taciti libris historicis perscriptus est vel titulo ipsum nomen est additum auctoris Cornelii Taciti, perpauci auctorem non commemorant; quod vero in uno codice Vindobonensi, qui nullius scriptoris quidquam continet nisi Taciti opera, Quintiliam nomen idque manu recentiore praescriptum est, nullius est momenti: nam cum Taciti editioni principi a Vindelino Spirensi secundum illum codicem Vindobonensem circa annum 1470. paratae dialogus ut Taciti opusculum insertus sit, sequitur illud Quintiliani nomen posteriore tempore esse appositum, quo dubitationes de auctore iam exstiterant. Quibus expositis cognoscitur ex traditione dialogi non esse dubium auctorem. Aliae igitur sunt causae, quibus commoti Tacito libellum esse abiudicandum viri docti censuerunt: et sunt in libello ipso. Stili enim diversitas multis tam mira videtur et insignis, ut a se non possint impetrare, ut eundem Tacitum agnoscant auctorem; haec princeps est causa istarum dubitationum, alias deinde aliunde afferunt, quibus opinionem firment.

Ad reformationis ecclesiasticae aetatem usque ne unus quidem vir doctus Tacitum non esse dialogi auctorem cogitavit (neque id est quod mireris; neque enim Tacitus illis temporibus diligentius tractabatur neque dialogus ipse iam diu ex oblivionis obscuritate in lucem prolatus erat); sed tum secuti sunt traditionis auctoritatem, quod apparet Pomponii Sabini testimonio, docti grammatici altero saeculi XV. dimidio florentis; is enim Cornelium

Tacitum dicit appellare scripta Maecenatis *„calamistros,"* qui locus nisi in dial. c. 26. in omnibus Taciti scriptis, quotquot nunc habemus, nusquam exstat.[1]) Is igitur de Tacitea dialogi origine nihil dubitavit. Primus vero, qui observato dialogi sermone ab historiarum libris et annalium omnino alieno suspicionem excitavit contra Tacitum auctorem, Beatus Rhenanus fuit Alsatiensis, Lutheri fere aequalis. Neque tamen iam aperte et directo ausus est libellum Tacito abiudicare, sed caute et modeste monstrat quid sentiat: *„hunc dialogum,"* inquit, *„vix crediderim esse Taciti"*. Quamvis illo *„vix crediderim"* certum iudicium non pronunciatum sit, tamen vetus traditio labefactari coepta est. Et cum paullo post vir summae in litteris auctoritatis, doctissimus ille et ingeniosus Taciti existimator, Justus Lipsius, Taciteam dialogi originem plane negavisset et sic novam de illo sententiam introduxisset, grandis virorum doctorum numerus illum auctorem et ducem secutus per ter centum annos Tacito dialogum adimere studebat, alii cum quaestione diligenter perpensa ad eam ipsam sententiam adducerentur, alii minus considerati cum aliquid novi deprehendere et scientiae addere opinarentur, alii cum causam et occasionem datam putarent, ut fieri solet, tradita et vetera iudicia impugnandi. Quos omnes quidem non in animo est singulos enumerare; sed praecipuos ex illis eorumque sententias proprias cognosci opus est ad statum totius quaestionis intelligendum.

Justus Lipsius igitur summus eius novae sententiae auctor habendus est: *„stilus enim,"* inquit, *„non fallax in hoc genere argumentum, in nostro (i. e. Tacito) constrictus ubique, teres, acutus et severus magis quam lepidus; hic (in dialogo) omnia contra; — superest, ut de scriptore huius libri verbo admoneam; quem Tacitum non esse tam certum apud me est quam si Apollo respondisset; — inclino, ut Quintiliano tribuam"*. Haec

---

[1]) cf. Eckstein, l. l. p. 63. sq.

Lipsius in praefatione primae dialogi editionis, quae a. 1574. prodiit cum hac insrciptione: „*Fabii Quintiliani ut videtur dialogus an sui saeculi oratores antiquis et qua re concedant, Cornelio Tacito falso*“ (in posterioribus editionibus „*vulgo*“) „*inscriptus*“. Librorum manuscriptorum auctoritatem hac in re prorsus negligit: „*exemplaria omnia,*“ inquit, „*Tacito dialogum adserunt; quid illa? vix bina aut terna credo ea esse in omni Europa, quae tam facile et pronum est hic mentiri quam in aliis libris saepe*“. Quo argumento usus fere universam antiquitatis traditionem facile possis subvertere. Lipsii iudicium secuti permulti deinde exstiterunt, qui Quintilianum auctorem esse contenderunt (quorum nonnulli etiam titulum a Lipsio inventum servarunt) iique magnae inter viros doctos famae; ex quibus placet Curtium Pichenam, Gruteri quidem iudicio (ad Cic. Verr. V. 7.) „*sospitatorem Taciti post Lipsium unico magis unicum,*“ Jan. Gruterum, Franc. Modium, J. G. Graevium, Jan. Dousam, Vinc. Placcium, Christ. Cellarium, Christ. Saxium nominatim afferre.[1]) Tamen illi quoque ipsi nonnunquam in dubitatione aliqua haesitasse videntur; Cellarius certe uno loco, ubi hanc de Quintiliano sententiam pronunciat (ad Plin. epp. I. 5. 8.): „*Quintilianus,*“ inquit, „*vel quisquis auctor est libri de causis corruptae eloquentiae*“ cet. — Alia nonnulla istam sententiam videbantur confirmare. Quintilianus enim duobus institutionum oratoriarum locis librum commemorat a se conscriptum „*de causis corruptae eloquentiae*“:[2]) inst. orat. lib. VI. prooem. 3: „*nam ita forte accidit, ut eum quoque librum, quem de causis corruptae eloquentiae emisi, iam scribere aggressus ictu simili ferirer*“; — alter locus

---

[1]) cf. Eckstein, l. l. p. 41. 53. sqq.

[2]) Cui verum libro, id quod non est omittendum, nusquam „*dialogi*“ titulum addit, qui in omnibus fere nostri libelli codicibus manuscriptis appositus est.

est lib. VIII. c. 6. extr.: „*sed de hoc*“ (recto scilicet hyperboles usu) „*satis, quia eundem locum plenius in eo libro, quo causas corruptae eloquentiae reddebamus, tractavimus*“. Ad eundem librum respicit lib. V. c. 12. extr., qui locus pertinere videtur ad scholarum rhetoricarum ineptias et nugas in dialogo quoque c. 35. notatas.

Iam quidem non potest negari dialogum nostrum aliquo modo agere de causis corruptae eloquentiae,[1]) sed ne unus quidem librorum dialogi manuscriptorum hanc exhibet inscriptionem, sed in omnibus titulum fert sive de oratoribus sive de oratoribus et poetis sive de grammaticis et rhetoribus sive alia similia. Attamen nonnulli illis Quintiliani significationibus inducti non dubitaverunt non solum Quintilianum pronunciare auctorem, sed etiam illum „*de causis corruptae eloquentiae*“ titulum dialogo praeponere.

Audiamus contra, quibus de causis Schulzius in praefatione editionis suae dialogi illam sententiam refutandam censet. „*Ut concedamus,*“ inquit, „*quod negari non potest, hiare dialogum bis vel adeo ter lacunis: eae tamen, quamquam de earum ambitu faciles sumus, non adeo amplae et insignes sunt, ut uberior tractatio de hyperbole, de κακοζηλία (de qua apud Quintilianum lib. VIII. c. 3. agitur) reliquisque orationis vel vitiis vel ornamentis sine ullo connexionis vestigio exidere potuisse videatur. Nec probabile est Quintilianum ibi de hyperbole sola, sed etiam de ceteris tropis figurisque egisse. Ita vero vel maiorem partem libri eiusque dotem fere*

---

[1]) cf. exempli gratia tales locos quales leguntur c. 1.: „*saepe ex me requiris, cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat*“; c. 24.: „*igitur exprome nobis causas cur tantum ab eloquentia eorum* (*antiquorum*) *recesserimus*“; et praecipue quae inde a. c. 28. explicantur.

praecipuam periisse existimandum esset. Sed tam laxae descriptionis amplique propositi modum in libellum nostrum prorsus non cadere manifestum est, in quo praeterea nihil technicum, nihil specialium de arte rhetorica praeceptionum reperitur, sed in universum causae indicantur, cur Vespasiani aevo multum iam defecerint oratores a Tullianae aetatis praestantia".

Tum vero sermonis etiam similitudo Quintilianum videbatur auctorem significare, „*lubrica quidem observatio quaeque exercitatissimum exigit iudicem,*" quod Spaldingi monitum utinam multi hac in re indaganda audivissent. Eundem in intelligendo Quintiliano acutissimum et prae aliis subtilem investigatorem omnes de Quintiliano opiniones profligavisse putamus, qui in Quintiliani editione ad lib. VI. prooem. nostri dialogi sermone cum stilo Quintiliani comparato et multis Quintiliani et dialogi locis allatis, qui inter se aut dissentiunt aut plane repugnant, ad finem perveniat disceptationis: „*plane confirmor in ea sententia, ut Quintiliano auctori abiudicem dialogum de oratoribus*".

Sed aliud etiam habent argumentum, qui Quintilianum auctorem esse contendunt, ex aetatis ratione petitum: „*convenit et aetatis ratio,*" inquit Lipsius; „*Quintilianum Domitiani temporibus et Nervae vixissi historiae approbant*". Illud „*convenit aetatis ratio*" per se iam nihil probat; sed ne convenit quidem. Comparemus dialogi tempus cum aetate Quintiliani. Dialogi quidem auctor ipse illi disputationi admodum iuvenem se interfuisse dicit (dial. c. 1.). Quo tempore autem ea habita sit, in libello ipso disertis verbis exponitur: „*sexta felicis principatus statione, qua Vespasianus rem publicam fovet*" (c. 17.). Cum autem Vespasianus anni 69. p. Chr. n. Kalendis Juliis principatum ceperit, sextus imperii annus fuit 74. vel 75. Quintilianus vero intra a. 42. et 44. aevi nostri natus quomodo se in dialogo „*admodum iuvenem*" potuisset nominare, cum 33. vel 35. ageret annum? quomodo praeterea in inst. orat. X. 3. 12. Julium Secundum

aequalem suum atque a se familiariter amatum appellasset, cuius inter auditores et assiduos sectatores sese numerat auctor dialogi (dial. c. 2.)? —

Altera classis eorum qui Tacito dialogum abiudicant, sunt qui C. Caecilium Plinium Secundum minorem statuunt auctorem. Cuius sententiae propugnator est Jo. Jac. Henr. Nastius,[1]) eumque secuta est magna cohors virorum doctorum.[2]) Huic quoque sententiae stilus dialogi Plinianis scriptis similior praesidio est; tum tempus, quo dialogus habitus fingitur, optime, aiunt, in Plinium cadit, atque tale argumentum rhetoricum pertractare aptissimum est reliquis Plinii studiis (quae eaedem causae ceterum etiam a Quintiliani patronis interponuntur); praeterea Fabius Justus, ad quem libellus missus est, Plinii familiarissimus eiusque tantum ex epistulis notus, nusquam a Tacito commemoratur.

Ac de prima quidem causa pro Pliniana dialogi origine allata eaedem exstant difficultates et angustiae quae supra de Quintiliano. Si quis enim Plinii sermonem in epistulis et in panegyrico adhibitum cognoverit et cum dialogo accuratius comparaverit, is, quanta sit diversitas, non potest non intelligere. Nam fucus et cincinni sermonis Pliniani desunt dialogo, qui etiamsi non minus elegans tamen non ita politus et ornatus est, ut Plinii ingenium agnoscas. Praeterea illam virtutum suarum ostentationem et praedicationem apud dialogi auctorem desideraveris, quam in omnibus suis scriptis prae se fert Plinius.

Sed per aetatem Plinius fortasse auctor esse potest vel utique est? — Plinius, qui duodevicesimum agebat annum, cum ex Vesuvii incendio avunculus obiit (ep. VI. 20. 5.), i. e. nostri aevi a. 79., eo tempore, quo disputatio illa instituta fingitur, tredecim fere annorum puer fuit. Minime vero probabile est tantillae aetatis puerum quam-

---

[1]) In dial. translat. vernac. Hal. 1787.

[2]) v. Eckstein, l. l. p. 42. 46. sqq.

quam praeclara indole praeditum gravissimi argumenti disputationem virorum sapientium omnino potuisse intelligere et omni ex parte percipere. Et Plinius tametsi quatuordecim natus annos tragoediam graecam scripserit, tametsi Livium adolescentulus legerit, clarissimos praeceptores admodum adolescens secutus sit, tametsi omnium denique litterarum fuerit indole capacissima et summo studio: *„vix tamen et ne vix quidem,“* ut recte monet Boetticherus,[1]) *„tantum valuisset ingenii acumine, ut huius argumenti colloquium sequi, nedum id quod ex eo memoriae mandasset, stilo exprimere potuisset“.*

Sic illa etiam de Plinio sententia levis est et infirma; nam reliquae causae, quod Plinius, clarissimus orator, optime potuerit de eloquentia dissertationem scribere et quod ad Fabium Justum libellus missus sit, nihil probant neque pro Plinio neque contra Tacitum, dum alia argumenta desunt, quae nihil relinquunt dubii.

Sed alii etiam a nonnullis propositi sunt auctores, quandoquidem Tacitus non esse debet. Quid vero dicamus de C. Suetonio Tranquillo, de M. Valerio Messalla Corvino, de Curiatio Materno denique, de quibus multi somniaverunt potius quam cogitaverunt! Nam revera a quibusdam tales sententiae ea sola de causa prolatae videntur, quod opinionibus capti quamlibet arripuere imaginem argumenti ad sententiam defendendam. Quam vana autem vel utique falsa illa argumenta contra Taciteam dialogi originem interposita interdum fuerint, uno cognoscatur exemplo. Nastius enim in prolegomenis translat. vernacul. ad firmandam suam sententiam praeter alias causas hanc affert: *„Wie konnte Tacitus,“* inquit, *„sich selbst admodum iuvenis nennen, wenn er nach dem ausdrücklichen zeugniss des älteren Plinius (h. n. VII. c. 17.) unter Vespasian die procuratur in Gallien verwaltete und von seiner gemahlin, einer tochter des Julius Agricola, zu*

---

[1]) In lex. Tac. prolegomm. p. IX.

der zeit, als er diese würde bekleidete, bereits einen dreijährigen sohn hatte?" — Neque volo disceptare, ille Plinii locus sitne huic quaestioni alicuius momenti an non sit; sed iam id vanitatem illius opinionis coarguit, quod Tacitus a. 78. Agricolae consulatu tum perfuncti filiam in matrimonium duxit, a. 79. ideo Plinio moriente filium non unius anni, nedum trium annorum habere potuit. Tamen Nastius quasi se iactans haec addit: „*Ich habe den letzteren grund aus dem zeugniss des Plinius desswegen beigefügt, weil Lipsius und die übrigen erklärer dieser schrift denselben übersehen haben, und weil er die unrichtigkeit des vorgebens, als ob Tacitus der verfasser unseres dialoges sei, ausser allen zweifel setzt*".

Sed haec hactenus.

Sunt autem alii quoque, qui nulli istarum sententiarum addicti cum cauto et considerato iudicio neque Quintiliano neque Plinio neque alii ulli auctori, quotquot nunc quidem noti sunt, dialogum adscribere audent, tamen propter nimiam in dicendi ratione discrepantiam Tacito eum abiudicandum esse censent, ideoque incertum contendunt eius esse auctorem.[1]) Quam ad sententiam Lipsius se convertit, cum posteriore tempore de Quintiliano etiam dubitare coepisset. Eum secuti sunt permulti viri docti non minimae auctoritatis, ut G. J. Vossius, Fr. A. Wolfius, Aug. Matthiaeus, nostris etiam diebus Bernhardyus, alii; neque Ecksteinius ipse in egregia de dialogo dissertatione totam quaestionem omnino non in dubio ponit; concludit enim: „*summa superest difficultas in dicendi genere a Taciti usu plane abhorrente posita; quare totam rem, dum meliora proferantur, in medio relinquendam esse censuimus*". — Quid vero? nonne aliquo modo mirationem moveret, quod de homine sua aetate in litteris nobilissimo, de scriptore talis gravitatis et talis artis, quales dialogus satis monstrat, de auctore, qui

---

[1]) cf. Eckstein, l. l. p. 42. extr. sq.

virorum aetatis suae illustrissimorum et maxima dignitate praeditorum societate atque familiaritate implicatus erat, etiamsi eius hoc opusculum superesset solum, nullam omnino scientiam haberemus neque de eius vita neque de nomine quidquam nobis esset traditum? Qua dubitatione a nonnullis non iniuria, reor, eorum sententiae occurritur, qui statuunt dialogum de oratoribus esse anonymum.

Haec est pugna doctissimorum virorum de origine dialogi de oratoribus, hae sunt prolatae coniecturae de eius auctore. Quas si animo diligentius perpenderis et simplici integroque iudicio aestimaveris, omnes eodem vitio laborare cognosces; omnes enim a certo quodam praeiudicio iam ante capto ordiuntur: Tacitum auctorem dialogi non posse esse; et ad hoc praeiudicium causis firmandum quaevis argumenti species, quidquid Tacito contrarium esse videtur, omnibus ex partibus conquiritur et colligitur. Quo fit, ut singulae illae causae tot habeant contrarios quot defensores, quia ii, qui Taciteam esse dialogi originem contendunt, eodem modo causas hinc illinc collatas adhibent. At ne opus est quidem singulas illas refutare: sed ad talem quaestionem disceptandam primo et locupletissimo duce uti debemus, — librorum traditione. Nam de libris manuscriptis id iudicium valet, quod Hauptius in analectis (Hermes I. p. 27.) alia quidem ratione dicit: „*videtur autem mihi omnino priscis testibus maior quam saepe fit reverentia esse exhibenda, non ut addicti iis simus aut nihil tempore valde antiquo erratum esse putemus, verum ut caute ac modeste iudicemus nostrisque opinionibus minus confidamus*". Quidquid igitur librorum manuscriptorum traditioni debetur, utique est pro vero accipiendum, dum contraria appareant argumenta, quae refelli non possint neque ullam dubitationem patiantur. Haec sola est iusta ratio critica, illa ratio, quam Im. Bekkerus et praecipue Lachmannus in omnibus suis libris edendis adhibuerunt; sic enim non potest errari, certe scriptori a critico nunquam vis potest afferri; itaque Lachmannus tantopere fuit cautus in observanda librorum

manuscriptorum auctoritate, ut ne tum quidem, cum suo iudicio aliud quidpiam genuinum esse sensisset, a traditione digredi ausus sit, nisi natura ipsa certissimis argumentis id postulabat et verum plane indicabat.[1]) Et hac ipsa critices via, quam Bentleius primus iniit, Lachmannus primus certis finibus circumscripsit legibusque constituit, hic a methodo G. Hermanni differt; huius enim ratio critica artificis est et divinatione quadam ut ita dicam definita, cum scriptoris sermone et usu antea plane perspecto pristinam et genuinam formam restituat secundum suum iudicium. Itaque Hermanni coniecturae quamquam semper subtiles et ingeniosae neque unquam „*ipsa glacie frigidiores*" (ut Ellendtus in lex. Soph. p. 105. contendit) tamen saepe sunt aliquo modo audaces, ne dicam violentae. Lachmanni contra ratio est historica, in firmo fundamento posita, quae primo loco libros manuscriptos adit et horum gravissimum quemque et certissimum sequitur nihil pro sua voluntate corrigens vel adiiciens.[2]) Recte Lachmannus intellexit nunquam nobis ab initio ius esse a librorum traditione discedendi, si libros ipsos certos et fidos habere debemus.

Itaque cum de traditionis veritate aliqua de causa scrupuli exstiterint, ubique prima est quaestio generalis de fide et auctoritate librorum manuscriptorum, quam et hic urgeamus oportet. Neque enim profecto potest negari, ut diximus, aliquam difficultatem inesse in dialogi ratione dicendi, quae primo adspectu tam aliena esse videtur a Taciti stilo in libris historicis adhibito, ut iure dubitatio possit moveri, an verum sit, quod libris manuscriptis traditur, Tacitum eius esse auctorem. Iam quinam horum librorum sit fons quaeque origo, videamus ideo, ut cognoscamus, fidesne iis sit ab initio habenda necne.

---

[1]) Sic praecipue in praeclara novi testamenti recensione.

[2]) Insigne est huius rationis exemplum in Lachmanni et Hauptii „*minnesangs frühling*" p. 281. extr., ubi est adnotatio ad XVIII. p. 132. 2.

Undecim sunt omnino noti codices manuscripti, ut supra monstravimus, qui dialogum de oratoribus exhibent quique omnes excepto uno non digno cui credatur Taciti nomen inscriptioni additum habent. Omnes autem hos codices ex uno communi fonte manavisse satis constat; nam eadem in omnibus menda nonnulla, eaedem lacunae id monstrant; archetypum est illud exemplum ab Henocho Asculano iussu Nicolai V. pontificis maximi ex monasterio Hersfeldensi vel Corbeiano circa annum post Christum natum 1457. Romam deportatum, nunc quidem deperditum, quod ex IX. vel X. saeculo originem ducit; nam vitia scribendi quaedam non ex librariorum negligentia et tarditate, sed ex scriptura et notis siglisque falso cognitis effecta, quibus r et v litterae, r et n, i et r, a et u,[1]) i et l,[2]) t et l, s et f, e et c, nr et mi, alia confunduntur (id quod nisi in libris litteris minutis exaratis fieri non potest) quaeque et in dialogi et in Taciti Germaniae codicibus ex eodem Henochi Asculani exemplo profectis inveniuntur,[3]) id scripturae genus monstrant, quod in locum veteris scripturae efferatae atque incultae a grammaticis suffectum est quoque perscripti adhuc multi libri exstant: charactera Langobardum quem dicunt[4]) sive litteram Beneventanam, atque eam huius generis formam accuratam, quae primis post ortum saeculis, aerae nostrae nono et decimo, a librariis servata est. Et quamvis codices, quotquot nunc supersunt, qui XIV. vel XV. saeculo prodiisse videntur, fortasse secundum libros maiusculis litteris exaratos transscripti sint, tamen principem originem eos habuisse apparet ex illa scribendi ratione, quae post Caroli

---

[1]) In libris noni et decimi saeculorum littera a sursum saepe ita hians scribitur, ut u litterae fiat simillima.

[2]) Quod singularem i litterae formam indicat eodem tempore usitatam.

[3]) Exempla multa collecta sunt a Massmanno in Germ. ed. p. 204. extr. sqq.

[4]) cf. Massmanni explicationem l. l. a p. 182. usque.

Magni aetatem praeter Carolinam quam dicunt scripturam minusculam maxime in usu fuit.[1]) Illum autem codicem principem ex nono vel decimo saeculo traditum Taciti nomen indicasse ex eo sequitur, quod omnes codices superstites de eo consentiunt. Scriptor archetypi igitur illo prisco tempore non dubitavit de Tacito dialogi auctore atque ipse hanc traditionem iam a prioribus acceperit necesse est. Neque enim licet coniicere illum, si dialogum alio nomine adscripto vel anonymum reperisset, Taciti nomen potuisse praeponere. Nam Tacitus fere per totum aevum medium quasi ignotus fuit, et rarissima sunt eius vestigia. Per longum quidem tempus viguit eius gloria (gloria, dico, non effectus et auctoritas; nam scriptores historiae Augustae Suetonii potius exemplum secuti sunt); M. Claudius Tacitus imperator a. 276. aerae vulgaris et Polemius praefectus praetorio in Gallia a. fere 476. in honore posuerunt Tacitum scriptorem inter maiores ipsorum numerari; Flavius Vopiscus Syracusius, Paulus Orosius presbyter, C. Sollius Apollinaris Sidonius cum laude eius mentionem faciunt; Cassiodorus et Jordanus in libro, qui de rebus geticis inscribitur, eius testimonia proferunt. At post sextum aerae nostrae saeculum omnis Taciti notitia abest excepto uno exemplo, quod ex nono saeculo secretum et singulare exstat. Ruodolfus enim, monachus quidam Fuldensis, Rhabani Mauri discipulus et Ludovici Pii sacerdos intimus, qui annales Fuldenses inde ab a. 838. usque ad a. 863. conscripsit, ad a. 852. adnotat: „*amnis, quem Cornelius Tacitus, scriptor rerum a Romanis in ea gente gestarum, Visurgim, moderni vero Wisaraha vocant*“ cet.[2]) quod ex ann. lib. II. c. 9. 11. 16. noverat. Idem alio loco, quo Saxones ad religionem christianam nondum conversos describit, ex Taciti Germania cc. 4. 9.

---

[1]) Certe inde ab extremo X. saeculo illa scriptura non est usitata.

[2]) Pertz, monum. Germ. hist. I. p. 368.

10. 11. paene integra transscripsit.[1]) Praeter hoc solum vestigium per totum aevum medium nulla omnino Taciti notitia invenitur.[2]) Itaque si in archetypo aut in libris transscriptis librarius aliquis ad suam voluntatem et arbitrium auctoris nomen dialogo praeposuisset, quemvis alium scriptorem notum elegisset, certe non Tacitum, qui tum erat omnium scriptorum minime notus. Ex prima antiquitate ideo libellus noster sub nomine Taciti traditus est neque ulla ab initio est causa de librorum manuscriptorum fide dubitandi.

Qui vero fit, in contrariam partem possis proferre, ut ne unus quidem auctor antiquus illius Taciti libelli mentionem faciat cumque tangat? Neque tamen quidquam hoc vult. Nam permulta exstant scripta antiquorum, quae nusquam ab aliis, ne ab aequalibus quidem memorantur, quae tamen ab iis ad quos referuntur, non esse composita nemo putat. Accedit, quod eloquentiae studiosis Taciti libellus non tanti visus est momenti quanti Quintiliani aliorumque rhetorices praeceptorum scripta; et in cyclo operum Taciteorum dialogus ipse pro argumenti gravitate inferiorem locum obtinet. Atque est, si vis, tale de dialogo testimonium idque antiquissimum apud Plinium minorem, qui in epistula lib. IX. decima ad Tacitum haec scribit: „*Poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas*". Quem locum omnino consentire cum Taciti sententia in dial. c. 9. et 12. pronunciata atque aperte ad dialogum respicere acutissime primus cognovit A. G. Langius[3]) et secundum eum a

[1]) Pertz. l. l. II. p. 675. translat. Sancti Alexandri c. 2.; in Massmani Tac. Germ editione p. 224. sqq.

[2]) Non possum Oelsnero in „*jahrbücher des fränkischen reiches*" p. 175. assentiri, qui in epistula Bonifatii (Jaffé, monum. Moguntina p. 744.—47. ep. 59.) vestigium aliquod Taciti intelligit eumque locum ad Tac. Germ. c. 19. respicere arbitratur. Nam quae ibi a Bonifatio de moribus veterum Saxonum in adulterio puniendo adhibitis narrantur, a Taciti explicatione valde abhorrent.

[3]) In Beckii actis seminar. reg. et societ. philolog. Lips. I. p. 77. sq.

plurimis viris doctis haec sententia usurpata est. Tamen hoc Langii subtile argumentum nolo urgere, quod illam epistulam Plinianam ad Taciti quandam epistulam nunc quidem deperditam respicere eodem iure potest colligi. Atque eo magis equidem in hanc sententiam inclino, quod veri simillimum est Plinium, quippe qui occasione oblata viros celebres maximeque amicos suos eorumque opera honorificis verbis prosequi nunquam omittit, hoc quoque loco ornandi et laudandi causa aliquid adiecisse, si ad praeclarum Taciti libellum voluisset alludere.[1]) Attamen id iam satis constat nullam exstare ex antiquitate dubitationem de Tacitea dialogi origine neque quidquam esse, cur dubitetur de fide librorum manuscriptorum.

Cum igitur externae causae ut ita dicam non obstent, ad alteram commentationis partem ducimur de libello ipso de iisque quae in eo continentur, et iam est quaerendum — de dictione enim quaestionem, quae est omnium et difficillima et gravissima, ad extremam partem proferemus —, num vel temporum descriptione historicisque indiciis vel ingenio et sententiis quae insint, ut Tacito dialogum contra librorum traditionem abiudicemus cogamur.

Primum igitur de personis, quae inter se colloquuntur, de tempore, quo dialogus institutus fingitur, de Taciti ipsius aetate dicendum erit; nam et haec omnia, etiamsi ab Exsteinio in praeclara dissertatione iam saepius laudata tam copiose quam accurate explicata sunt, tamen hic attingere opus est, ne quid grave praetermittamus.

Atque ansam subiicit inprimis Vipstani Messallae nomen, cui primariae in dialogo partes sunt traditae. Qui homo clarus bello nec minus insignis in foro multis locis a Tacito ipso cum laude ita nominatur, ut amicitia quadam ei coniunctus esse videatur. Bello inter Vespasianum ac

---

[1]) Videas quae a Steinero in dissertatione progammati gymnasii Crucenacensis a. 1863. adiuncta „*über den dialogus de oratoribus*" p. 12. sq. prolata sunt.

Vitellium exorto (a. 69. aerae nostrae) Vipstanus Messalla tribunus legioni septimae Claudianae praefuit et, ut Tacitus confirmat, solus ad id bellum bonas artes attulit (v. hist. III. c. 9. 18.); historiarum etiam scriptor fuisse videtur, ut colligitur ex Tac. hist. III. c. 25. (quocum loco conferas eiusdem libri c. 28.), ubi Tacitus ipse eo utitur auctore. Magnamque et pietatis et eloquentiae famam adeptus est, cum pro fratre Aquillio Regulo ob accusationes turpiter exactas arguto deprecatus esset (Tac. hist. IV. c. 42.), qui quamquam *„omnnium bipedum nequissimus“* (Plin. epp. I. 5.) et pluribus locis a Plinio ut fraudulentus causidicus et testamentorum captator meritissimo flagellatus tamen a Vipstano Messalla fratre in iudicio sublevabatur non causam neque reum tuente, sed periculis fratris semet opponente. Tacitus ubi id narrat, aliquam temporis descriptionem addit; dicit enim Messallam defendisse fratrem *„nondum senatoria aetate,“* quae aetas est annus vicesimus quintus. Illa res autem facta est secundo imperii Vespasianei anno, h. e. a. 70. vel 71. p. Chr. n. Natus igitur erat Messalla non ante annum 46.; quem annum natalem si ponimus, Messalla, cum dialogo nostro interesset, annum agebat fere vicesimum septimum, quae aetas optime cadit et in Taciti et in dialogi tempus.[1]) Minus quidem certa mentio ad nos perlata est de reliquis collocutionis sociis neque fere quidquam de iis accepimus nisi quod ex dialogo ipso apparet. Quorum primus Curiatius Maternus ingeniosus tragoediarum poeta fuit, quibus pristinas virtutes populares revocabat et aliquam inter aequales gloriam sibi parabat. Martialis autem verbis in epigr. X. 37.:

„iuris et aequarum cultor sanctissime legum,
veridico Latium qui regis ore forum“ cet.

hic noster Curiatius Maternus non videtur denotari;

---

[1]) Nescio an idem fuerit ille Messalla, qui a. 115. sub Traiano cum M. Pedone Vergiliano consul creatus est (cf. Eckstein. l. l. p. 19.).

neque veri est simile hunc esse eundem, quem Cassius Dio (LXVII. 12.) a Domitiano interfectum esse narrat.[1]) — M. Aper, Materni in dialogo adversarius, Gallicus homo fuisse videtur, ut ex eius dictis quae in dial. c. 10. leguntur: *„ne quid de Gallis nostris loquamur,"* colligi licet. Ceterum nusquam a scriptoribus antiquis eius fit mentio. — Julius Secundus denique, cui exiguae in dialogo partes datae sunt,[2]) aequalis fuit Quintiliani eique intima familiaritate coniunctus, ut ipse testatur Quintilianus in inst. orat. X. 3. 12. Saepius praeterea ab eodem summa cum laude nominatur et inter lumina eloquentiae numeratur. Senectutem videtur non esse adeptus (Quint. X. 1. 120.). Nihil vero omnino certius constat de eius aetate neque de Curiatii Materni neque de M. Apri. — Restat ut loquamur etiam de Fabio Justo, ad quem libellus ab auctore missus est. Is quidem non est notus nisi ex Plinii epistulis, qui ad eum, videlicet amicum suum, epistulas dedit libri primi undicimam et libri septimi secundam. In quinta libri primi epistula eorum in numero recensetur, quibus Aquillius Regulus, subdolus iste causidicus et delator, Vipstani Messallae frater, internunciis usus sit, ut Plinium sibi reconciliaret. Eundem a. 111. p. Chr. n. Traiano imperante consulem suffectum fuisse nonnulli dicunt, nescio quo testimonio nixi.

His personis breviter descriptis et velut adumbratione pictis id apparet nullam inter illas per tempus exstare discrepantiam; atque ut infra videbimus, Taciti etiam aetati omnino respondent. — Omnia vero alia quoque nomina nobilia et ignobilia, de quibus in dialogo, ubi fert occasio, sermo fit, homines sive aequales colloquentium sive ad priorem aetatem referendi, ita inducuntur et commemorantur, ut recta temporum ratio semper servetur neque quidquam in his dialogi Tacitique aetati repugnet nec necessitudine careat. Sed longum est omnes illos no-

---

[1]) cf. Steiner. l. l. p. 24. sq.

[2]) sed videas Steiner. l. l. p. 30.—32.

minatim afferre singulorumque vitas et tempora enarrare; si quis has res melius cognoscere vult, eum revocamus ad Teuffeli *„geschichte der römischen litteratur,“* qui eorum suo cuiusque loco mentionem facit.

Iam videamus reliqua, unde de temporum definitione colligitur. Quo anno dialogus istitutus fingatur, ex c. 17. satis apparet (quod iam semel attigimus). Ibi enim tempus inde a Ciceronis morte usque ad collocutionem habitam summatim comprehenditur centum et viginti annis; verus numerus est centum et duodeviginti; nam sexta Vespasianei principatus statio, ut vidimus, annus est 74. vel 75. aerae nostrae. Neque enim credo, quod Steinerus *„über den dial. de orat.“* p. 17. not. 29. ut coniecturam proponit, stationem et hoc loco pro imperii munere vel vitae spatio ita dici, ut singuli principatus enumerentur atque ideo Augusti anni sex et quinquaginta prima, Tiberii tres et viginti secunda, Caii quadriennium tertia, bis quaterni deni Claudii ac Neronis anni quarta, Galbae et Othonis et Vitellii unus annus quinta, Vespasiani denique principatus sexta fuerit statio; quae ratio nimis quaesita videtur; sed cum Schulzio (ad dial. c. 17.) et Boettichero (lex Tac. s. v. statio) aliisque stationem pro certa imperii unius periodo, pro anno imperii malo interpretari, quamvis haec vocis vis apud scriptores non sit usitata. — Quotum autem annum Tacitus eo tempore egerit, non possumus colligere nisi ex computando et coniiciendo, cum nihil certi de anno, quo natus sit, litterarum monumenta exhibeant. Virorum doctorum quidem opiniones fluctuant inter annum 54. p. Chr. n. et annum 58. Et Plinii nonnulli loci aliquam hic afferunt lucem; is enim in epp. VII. 20. §§. 3. 4. ita significat suam aetatem cum Taciti aetate comparatam: *„erit rarum et insigne duos homines aetate propemodum aequales nonnullius in litteris nominis (cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico) alterum alterius studia fovisse. Equidem adolescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo sed*

proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam". Minime Plinius hoc loco sibi ipse repugnat; nam paucorum annorum discrimen in iuventute gravius est, in superiore aetate confunditur. Plinii igitur annus natalis a Taciti non ita longe abest. Ille autem natus est a. 62. p. Chr. n. (cf. epp. VI. 20. §. 5.). In ann. XI. 11. Tacitus narrat se ludis saecularibus a. 88. a Domitiano editis et sacerdotio quindecimvirali praeditum et praetorem interfuisse. Cum vero praeturam sub imperatoribus nemo adierit nisi anno tricesimo secundo peracto, Tacitus post annum 56. aerae vulgaris non potest natus esse. Atque si hunc ipsum eius annum natalem statuimus, omnia alia optime conveniunt: optimo iure Plinius semet ipsum Tacitumque propemodum aequales appellare potuit, Tacitus septem annis maior iam aliquam in litteris gloriam sibi potuit comparavisse Plinio adolescentulo nondum laude florente; atque id respondet, quod Tacitus in hist. I. 1. de se dicit: „*dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim*"; nam nihil prohibet, quin colligamus sub Vespasiano eum vigintiviratum, primum dignitatis gradum, anno aetatis vicesimo, sub Tito quaesturam cepisse anno vicesimo quinto, qui anni eo tempore legibus fuerant constituti ad illos honores adipiscendos. Itaque Tacitus, cum dialogo inter eos viros, quos „*in indiciis non modo studiose audiebat, sed domi quoque et in publico assectabatur mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili,*" instituto audiens interesset, admodum iuvenis fuit: nam annum egit duodevicesimum. Semet ipsum quoque in dialogo perscribendo sic („*admodum iuvenem*") potuit appellare, etiamsi, ut veri est simillimum, extremo Titi principis anno[1]) eum ediderit, quia hac aetatis periodo septem anni, ut diximus, iam grave faciunt intervallum.

[1]) Tacitum per quindecim Domitiani annos serviles silentium egisse ex eius ipsius verbis, quae in Agric. c. 3. leguntur, lucide apparet; et dialogum post Domitiani imperium scriptum esse si opinaris, minimum per duos et viginti annos totam collocutionem,

Sic omnes temporum significationes optime in Tacitum cadunt, neque quidquam ex hac parte obstat, quod ei dialogum abiudicare cogat.

Iam igitur quaerendum est hoc: sententiae libelli vel ingenium ei impressum Tacitine ingenio et studiis, qualia libris eius historicis aliisque testimoniis declarantur, repugnant?

Tacitus quidem totus ex mente et animo grandem et excelsam liberae reipublicae aetatem praeteritam amplectitur et simplicitatem eius et morum innocentiam castitatemque admiratur; tamen omni pravitate et nequitia aequalium, luxurie, mollitie, turpitudine saeculi corrupti circumdatus est: itaque velut duplicem agit vitam, alteram in gloriosis temporibus praeteritis, alteram in sua aetate perdita. Rectissime Bernhardyus in „*grundriss der römischen litteraturgeschichte*" ed. a. 1850. p. 555. ita Taciti naturam describit: „*Seine individualität war einerseits echt römisch und an den grossen erinnerungen der republik genährt, andererseits neigt sie entschieden zu den modernen richtungen hin. Als denkender und tiefsinniger kopf — gehört er seiner gegenwart mit kummer über den verlust einer schönen vergangenheit und ohne aussicht auf bessere zukunft an*". Et haec naturae diversitas saepissime in eius scriptis exstat atque elucet; inde macror ille et dolor, inde illa gravitas neque rara acerbitas, quibus suae aetatis corruptelam castigat et praeteritorum temporum virtutes contrarias laudibus tollit; illa sententia, quae in Agricola c. 2. pronunciatur: „*sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute*" per omnia Taciti scripta resonat. Inde illa libido componendi et conferendi res inter se contrarias; et sicut in dictione singulas partes non pares inter se et aequales, sed diversas et contrarias componere vel pares certe vario modo adiungere solet,[1] ita in uni-

---

numeros, rationes, ordinem disputationis memoria et recordatione auctorem servasse necesse foret, quod nenimi, reor, persuadebitur.

[1]) v. Nipperdeyi prolegomm. in Tac. ed. a. 1862. p. XXXV.

versum contraria inter se et ingenia et conditiones contendit diversitatesque explanat. Hoc modo in Germania nationem describit, quae simplicitate morum et severitate excellit contra romanum populum mollitie et luxurie depravatum; eodem modo in Agricola virum notat, qui animi et ingenii indole ac sinceritate morum et temperantia fulget inter aequales corruptos, qui pristinae civium virtuti studet et ob hoc studium tyranni invidia et iniuria opprimitur; eodem modo in magnis suis operibus historicis ad liberam rempublicam saepissime respicit; eodem modo in annalibus (IV. 32. 33.) suae historiae rationem cum scriptura eorum contendit, qui veteres populi romani res narravere (cf. etiam Agricolae prooemium); eodem modo in dialogo recens eloquentia opponitur antiquae, qua ex comparatione illam longe recessisse et valde corruptam esse apparet. — Quamvis vero Tacitus suae ubique praeferat veterem aetatem huiusque libertatem praedicet, tamen non prorsus et absolute superiora tempora admiratur nec praesentem conditionem utique negligit. Neque enim Stoicorum more ut quacunque ratione pristinam simplicitatem revocet hominibusque suis libertatem ablatam restituat, operam navavit atque contentione inutili et irrita intellecta de reipublicae salute omnino desperavit et in silentium se recepit. Itaque in Agricola c. 42.: „*sciant,*“ inquit, „*quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse; obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta sed in nullum reipublicae usum ambitiosa morte inclaruerunt*“.[1]) Sed quoniam sentit querendo aetatis corruptelam et generis humani perversitatem lamentando nullo pacto quidquam posse agi, quoniam ad praesentem reipublicae statum ac conditionem, ad prae-

---

[1]) cf. ann. XIV. 12.: „*Paetus Thrasea sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit*“.

sentem hominum naturam respicit: tam modeste et temperanter quam considerate et provide eam amplectitur reipublicae formam, quae, cum cives dedidicerint semet ipsi regnare, sola securitatem aliquam et salutem praestat. „*Tacitus*,“ inquit Nipperdeyus,[1] „*ist anhänger des principates aus resignation und überzeugung von seiner notwendigkeit für den römischen staat*“. In unius principis imperio igitur Tacitus reipublicae salutem et quietem positam esse videt; neque quidquam patriae et civibus vehementius imprecatur nisi ut principatum teneat vir quam optimus et dignissimus. Ac multis locis apud Tacitum reperies Homericam illam sententiam:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Idcirco hist. I. 16. Galbam Pisonem adoptatum his verbis facit alloquentem: „*si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram, a quo respublica inciperet; nunc eo necessitatis iam pridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus populo romano possit quam bonum successorem nec tua plus iuventa quam bonum principem*“; et paullo post: „*(finita Iuliorum Claudiorumque domo) optimum quemque adoptio inveniet*“. De Augusto principatum occupante hist. I. 1. dicit: „*omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit*“.[2] Atque aliquid iuris principatui esse in natura humana positi plane expromit in hist. II. 38. in.: „*vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque*“. Sic in dialogo quoque principatum veneratur et unius imperium laudat. Felicem appellat Vespasiani principatum quique fovet rem publicam (c. 17.); quietem et ordinem praedicat reipublicae sub uno imperatore constitutae (c. 36.): „*(oratores)*,“ inquit, „*ista (liberae reipublicae) perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur, cum mixtis*

---

[1]) in prolegomm. ed. a. 1862. p. XVIII.

[2]) cf. etiam hist. II. 37.

omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat"; et praecipue c. 41. vera Taciti sententia elucet: „*quid opus est multis apud populum concionibus, cum de republica non imperiti et multi deliberent, sed praestantissimus et unus?*"[1])

Verum hac etiam propria ratione dialogus noster ingenio Taciti in omnibus scriptis historicis posito optime respondet, quod „*modus ille et temperamentum*," quae in exitu orationis a Materno[2]) habitae laudantur,[3]) et in annalibus et in historiis et in Germania Agricolaque reperiuntur, eadem ubique modestia et continentia, immo taciturnitas in quavis re aestimanda et iudicanda: nullibi in dialogo nec in libris historicis ulla de re absolute et confidenter diiudicatur, nullibi iudicium profertur plenum arrogantiae, nullibi acriorem se praebet Tacitus ac vehementiorem in sententiis suis defendendis. Neque ita erat morosus atque aeger, ut suo tempori etiamsi corrupto nihil omnino superesse censeret virtutis et ingenii. De se ipse enim poterat praedicare, quod de se Plinius epp. VI. 21.

---

[1]) Ceterum conferas Nipperdeyi dicta in prolegomenis ad Tac. ed. a. 1862. p. XIX.: „*Wenn aber im dialogus c. 36. ff. die monarchie der republik gegenüber von einem der sprecher in glänzendern farben gezeichnet wird, als sie dem erscheinen konnte, der sie nur durch ihre notwendigkeit für gerechtfertigt hielt, und als namentlich die regierung Vespasians sich dem Tacitus nach den urteilen in seinen historien darstellte, so haben wir darin eine ähnliche accommodation wie im stil des buchs an die übliche weise zu sehn, in der sich hochgestellte männer ausser dem engsten freundeskreise über eine verhältnissmässig gute regierung zu äussern pflegten, zugleich eine gewisse courtoisie des verfassers gegen die regierung seiner zeit, welche er sich um so mehr erlauben durfte, da sie von einer andern person im advocatorischen interesse zur verfechtung ihrer ansicht über die beredtsamkeit geübt wird*".

[2]) aut a Iulio Secundo? — cf. Steineri explicationem l. l. p. 29.—36.

[3]) dial. c. 41., quocum conferas locos a Teuffello in „*geschichte der römischen litteratur*" p. 674. in. collectos.

confitetur: „*sum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio: neque enim quasi lassa et effeta natura, ut nihil iam laudabile pariat*". Satis iusto animo aetatem suam aestimat ann. III. 55. extr.: „*nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut, quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit*"; — hist. I. 3.: „*non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit*". Atque simillima profertur sententia in dialogo, ubi in c. 18. sunt haec verba (atque ea ab Apro, recentioris eloquentiae defensore, enunciantur): „*hoc interim probasse contentus sum non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi, nec statim deterius esse, quod diversum est, vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse*". Sed quid plura afferam exempla? Quisquis historicorum Taciti scriptorum ingenium recte perspexerit et postea dialogum de oratoribus diligentius legerit, eandem in utrisque modestiam et continentiam, eundem modum idemque temperamentum inveniet.

Alius vero singularis et proprius locus accedit, qui conspicuam praebet dialogi et Taciti similitudinem. Tacitus enim inter primas esse causas morum demutatorum intelligit, quod matres, quae antea vitae summam posuerint in liberis educandis et inde bonos cives reipublicae tradiderint, tunc hanc operam sive taedio sive superbia inductae aversentur et per nutrices et ancillas liberos sinant corrumpi. Qui locus accurate et uberius tractatur in dialogo inde a c. 28., ubi tota puerorum romanorum educatio illius temporis enarratur. Haec praecipue verba sunt observanda: c. 28. „*quis ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab ista vetere gloria non inopia hominum, sed desidia iuventutis et negligentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione*

moris antiqui? — Iam primum suus cuique filius ex casta parente natus non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur; cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. — Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus". Deinde c. 29.: „*at nunc natus infans delegatur graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus*" cet. Quibuscum conferenda sunt, quae de Germanorum more liberos educandi Tacitus notat in Germ. c. 20.: „*sua quemque mater uberibus alit nec ancillis ac nutricibus delegantur*"; et quae de Agricolae educatione in Agr. c. 4.: „*mater Julia Procilla fuit, rarae castitatis; in huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit*".

Verum haec hactenus. Ingenii et sententiarum similitudo dialogi ceterorumque Taciti scriptorum iam satis apparet. Sed optime etiam studiis Taciti et eruditioni convenit de eloquentia librum componere. Tacitum enim in eloquentiae studio diligenter versatum atque magnam in ea laudem adeptum esse et aliorum testimoniis satis constat et ex ipsius scriptis elucet. Plinius quidem, locuples sane huius rei iudex, multis locis Taciti eloquentiam collaudat; sic in epp. II. 11. §. 17.: „*respondit Cornelius Tacitus eloquentissime et, quod eximium orationi eius inest, σεμνῶς*" (h. e. cum granditate quadam dictionis); sic etiam in eiusdem libri epistula prima: „*huius viri (Verginii Rufi) exsequiae magnum ornamentum principi, magnum saeculo, magnum etiam foro et rostris attulerunt: laudatus est a consule Cornelio Tacito; nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus*". Quin fere maximam inter aequales oratores romanos famam habuisse videtur Tacitus; nam cum anno p. Chr. n. centesimo Marius Priscus proconsul repetundarum reus factus esset, Tacitus cum Plinio amico

Afris accusantibus patronus adesse a senatu iussus est.[1]) Quantopere autem artis oratoriae peritus fuerit, quantopere principia et leges eloquentiae percepta habuerit, illustrissime monstrant non rarae orationes, quas libris suis historicis intexuit quaeque et ordine et ratione sunt praeclarae, monstrant de summis oratoribus iudicia ingeniosa et considerata,[2]) monstrat denique dialogus noster de oratoribus, in quo de eloquentia eiusque legibus et de corruptelis, quibus sua aetate sit demutata, tam subtiliter agit et acute quam docte et intelligenter.

Ac quod Tacitus praeter dialogum nostrum a iuvene conscriptum nullum omnino rhetoricorum studiorum monumentum posteritati mandaverit, non est quod mireris. Quamvis enim superiori etiam aetate saepenumero occasione ferente sive officio postulante artem oratoriam exercuisse videatur, tamen non ad rempublicam gerendam et consilio orationeque moderandam potissimum se contulit, quia et sub principatu aliquid magni in civitate posse singulos assequi desperaverat et eloquentiam, cui libertas deerat, iamiam labentem et a pristina gravitate plus demutatam intellexerat, quam cui tota vita et omne studium omnesque animi vires tribuerentur. Et optimo iure Teuffelus mihi videtur hunc etiam locum attigisse in „*geschichte der römischen litteratur*“ p. 680. not. 3. hoc monens: „*neben dem allgemeinen culturhistorischen zwecke verfolgt die schrift wol auch noch einen persönlichen, die gründe anzugeben, warum Tacitus, trotz seiner umfassenden rednerischen übungen und studien, schliesslich doch nicht der laufbahn des redners sich vorzugsweise zugewendet, sondern die stille wirksamkeit des gelehrten und schriftstellers vorgezogen hat*“. Quod iudicium si adoptaveris, dilucide patet, quantum omnino dialogus noster valeat quique locus inter opera Tacitea ei sit tribuendus: gradum enim declarat, quo auctor ab arte rhetorica ad lit-

---

[1]) Plin. epp. II. 11.

[2]) v. Exstein. l. l. p. 70. sqq.

terarum studia et ad historiam se converterit. Orationes e foro in senatum erant remotae, conciones iam non erant, orationes in causis iudicialibus habitas ad vanam ostentationem declinatas esse Tacitus ipse in dialogo conqueritur. Itaque postea contemnebat Tacitus rhetoricen nec volebat artis oratoriae praeceptor exsistere, quamvis eloquentia polleret et floreret. Iterum quidem in illo genere versatus esse videtur, siquidem verum est, quod Aem. Hübnerus in dissertatione de Agricola scripta explicat,[1]) Agricolam et argumento et dispositione laudationem funebrem esse vel in hac potissimum eius consilium esse positum.[2]) Tamen hic libellus non est exercitium rhetoricum, sed prodiit ex intima pietate erga socerum et amicum, quae sola Tacitum commovit, ut eum in publicum proferret, cum orationum a se in senatu iudiciisve habitarum ne unam quidem quantum scimus scriptis mandatam vulgasset. Dialogus igitur re ipsa solum est monumentum rhetoricorum Taciti studiorum.

Sic iam satis dilucide demonstratum esse videtur dialogum nostrum neque per aetatis rationem neque per propriam scriptoris indolem Tacito non recte convenire neque ullam ex his prodire causam, quae Tacito eum abiudicare cogat. Superest, ut ad finem disceptatio perduci possit, ea pars perscrutanda, quae maximam exhibet difficultatem, quia ex ea Taciti adversarii — hos volo, qui ei dialogum abiudicant — imprimis arma sua in promptu habent: stilus dialogi plane diversus ansam firmissimam iis praestare videtur. Et hoc nunc est quaerendum, utrum dictio, qua auctor dialogi usus sit, Tacitea sit an non sit.

Neque in hunc finem recte sensisse videtur Curtius Pichena, qui prorsus nihil inesse in dialogo, quod Taciti

---

[1]) in „*Hermes*“ I. (a. 1866.) p. 438. sqq.

[2]) quam sententiam etiam videtur sequi Teuffelus; nam in „*gesch. d. röm. litt.*“ p. 681. ita dicit: „*durch den stark rhetorischen charakter seiner anlage wie ausführung erinnert das werk an die laudationes funebres*“.

phrases stilumque redoleat, haud ambigue iudicavit. Nam profecto et in dictione ornatuque oratorio et in vocabulorum figurarumque usu similitudines reperiuntur, ex quibus Tacitum agnoscas atque multi viri docti sine dubio agnoscendum putaverunt. Exempla sunt haec. Multus est Tacitus in synonymorum usu et in figura ἓν διὰ δυοῖν quae dicitur adhibenda; saepissime anaphora enunciatum tollit et auget: et omnes has figuras minime raras in dialogo reperies.[1]) Singulae etiam sunt voces in dialogo, quae vel ipsae in Taciti solius libris inveniuntur vel peculiari quadam significatione Taciti maxime propriae sunt: sic histrionalis vox nisi in ann. I. 16. et in dial. c. 26. et 29. nusquam exstat;[2]) sic peculiari significatione dicitur cura pro opere composito, libro conscripto in dial. c. 3. et 6., quod exceptis prioribus nonnullis poetis (Ovidio et Propertio) apud solum Tacitum nonnunquam reperitur, e. g. ann. IV. 11.; sic plerumque dicitur pro saepe (dial. c. 15. 31. — ann. IV. 57. Germ. c. 45.), et similiter plerique interdum non maximum, sed dumtaxat magnum numerum significat, i. q. multi (dial. c. 17. 31. — hist. I. 86. ann. IV. 9. 32. Agr. c. 1. 40.), rursus sive rursum adversative pro contra, ita ut graeco αὖ respondeat (dial. c. 18., saepius in annalibus et historiis); quales significationes ab aliis argenteae latinitatis scriptoribus vix in usum vocatae sunt. Permulta alia sunt vocabula in dialogo, quae quidem non apud solum Tacitum inveniuntur, sed apud eum praecipue sunt usitata aut praecipue peculiarem quandam significationem habent: sic frequentissimus in dialogo usus est vocis ingenium, quae nulli magis frequentatur quam Tacito et abstracta et concreta significatione adhi-

---

[1]) Exempla multa sunt collata a Weinkauffio in particula priore praeclarae dissertationis quae titulum fert: „*de Tacito dialogi qui de oratoribus inscribitur auctore*“ Colon. 1857. p. 15.—19. 29.—31.

[2]) videas reliqua exempla apud Eckstein. l. l. p. 83. in.

bita; itidem notabilis vox = insignis (dial. c. 8. 10. 40.) apud nullum aequalium tam saepe quam apud Tacitum invenitur; quatenus pro quoniam sive quandoquidem (dial. c. 5. 19.) apud Tacitum etiam est; orare pro dicere, orantes pro oratores (dial. c. 7. 6.) apud Tacitum paene non minus frequentia sunt quam apud Quintilianum. Sed aliae quoque verborum et figurarum proprietates Taciteam dictionem redolent. Multus est Tacitus, ut quidem nonnulli aequales, in usu participii futuri activi, quod fere vice adiectivi fungitur: ann. I. 28. „*noctem in scelus erupturam*,“ ibid. c. 36. „*augebat metum gnarus romanae seditionis et invasurus hostis*,“ ann. IV. 38. „*pulcherrimae effigies et mansurae*,“ hist. I. 78. „*nova iura-ostenta magis quam mansura*,“ hist. IV. 80. „*mansuram discordiam obtendens*“; — quibuscum locis conferendi sunt hi ex dialogo lecti: c. 9. „*mansurum in animo cuiusquam beneficium*,“ c. 22. „*firmus paries et duraturus*,“ c. 34. „*magnam et duraturam eloquentiae famam*“. Singulari quodam modo participio futuri passivi, gerundivo quod dicunt, Tacitus utitur cum verbo habere coniuncto: ann. IV. 40., „*tolerandum haberet*,“ XIV. 44. „*statuendum haberemus*,“ hist I. 15. „*excusandum habeas*,“ IV. 77. „*excusandum habeo*“; — eadem constructio nonnunquam est in dialogo: c. 8. „*cognoscenda-spectanda habemus*,“ c. 19. „*exspectandum habent*,“ c. 37. „*dicendum habeas*,“ al. Frequens est usus supini in u desinentis apud Tacitum neque minus in dialogo: ann. II. 72. „*visu et auditu iuxta venerabilis*,“ hist. III. 19. „*pulchra dictu*“; — dial. c. 26. „*auditu fas*,“ c. 28. „*inhonestum factu*“. Neque rarus est infinitivus cum nomine substantivo vel adiectivo coniunctus more poetico (imprimis ab Horatio adhibito).[1]) — Nonnullarum particularum etiam peculiaris est et in Taciti libris et in dialogo usus; sic aut

[1]) Exempla collegit et ex dialogo et ex historicis Taciti libris Boetticherus in lex. Tac. p. 265.

particula saepius tantum copulativam potius quam disiunctivam vim habet: hist. IV. 74. „*sterilitatem aut nimios imbres et cetera naturae mala,*“ I. 46. „*per latrocinia et raptus aut servilibus ministeriis*“; — dial. c. 11. „*egressus et comitatus aut frequentiam,*“ c. 40. „*ne Macedonum quidem ac Persarum aut ullius gentis*“. Insolentius est quod sive — vel, aut — vel, sive — seu — vel se excipiunt, quod quidem legitur et in ann. XIV. 7. „*sive — vel — sive,*“ hist. V. 7. „*sive — aut,*“ Germ. c. 34. „*sive — seu,*“ ann. XIV. 3. „*aut — vel,*“ et in dialogo c. 5. „*vel — sive — sive,*“ c. 28. „*nec aut tibi aut — vel*“. Anastrophen quoque coniunctionum, qua coniunctio, quae primum locum habere solet, alii verbo postponitur, saepissime Tacitus adhibet eodem modo quo dialogi auctor: ann. V. 9. „*vanescente quamquam ira,*“ I. 5. „*acribus namque custodiis,*“ II. 43. „*divisa namque et discors aula erat,*“ II. 15. „*classem quippe*“ cet., III. 2. „*aberat quippe adulatio,*“ hist. II. 17. „*irritabat quin etiam,*“ Germ. c. 14. „*pigrum quin immo et iners videtur*“; — dial. c. 19. „*vidit namque,*“ c. 6. „*illos quin immo,*“ c. 34. „*inde quin immo constantius surgere,*“ c. 39. „*ipsam quin immo curam*“. E contrario igitur coniunctio, quae secundo loco poni solet, apud Tacitum et in dialogo interdum incipit enunciatum: ann. XV. 72. „*Igitur matre libertina ortus,*“ XII. 4. „*Igitur Vitellius*“ cet., XII. 24. „*Igitur a foro boario,*“ Agr. c. 13. „*Igitur primus omnium Romanorum*“; — dial. c. 3. „*Igitur ut intravimus*“. — Eodem modo adverbia per anastrophen non nunquam voci, cui iungenda sunt, postponuntur: hist. III. 31. „*incipiens adhuc seditio,*“ I. 33. „*invalida adhuc coniuratio,*“ ann. I. 74. „*manebant etiam tum vestigia*“; — dial. c. 25. „*eloquentiae nascenti adhuc*“; hist. III. 1. „*pulsarum nuper legionum,*“ ann. IV. 66. „*parto nuper praemio male usus*“; — dial. c. 9. „*laudavimus nuper liberalitatem*“; hist. II. 91. „*grata sane et popularia,*“ IV. 19. „*promissa sane a Vitellio,*“ ann. XII. 23. „*fruerentur sane*“; — dial. c. 22. „*firmus*

sane et duraturus," c. 21. *„concedamus sane"*; hist. III. 45. *„concussa statim flagitio domus,"* IV. 19. *„intumuere statim superbia,"* ann. XIII. 3. *„puerilibus statim annis"*; — dial. c. 29. *„teneri statim et rudes,"* c. 34. *„solus statim et unus"*; Agr. c. 19. *„emere ultro frumenta cogebantur,"* ann. IV. 43. *„pronunciemus ultro,"* XVI. 2. *„auget ultro rumorem"*; — dial. c. 9. *„rogare ultro et ambire,"* c. 36. *„vocare ultro"*; huc pertinent quoque, quae in dialogo c. 2. leguntur: *„quos in iudiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar"*.

Omnia illa et plura exempla[1]) a multis allata sunt, qui demonstrare studerent annalium historiarumque et dialogi eundem esse auctorem. At ne tali deductione parum proficiamus, ut Tacito dialogum vindicemus, valde timeo. Nam ex singulis vocibus et figuris, ex usu grammatico et rhetorico verum auctorem eruere quam lubricum sit atque anceps, iam supra nobis apparuit: ex iisdem elementis, ex verborum usu et dicendi ratione permulti alii viri docti Quintilianum, alii Plinium, alii alios agnovere. Quid enim? nonne dialogus et vocabulorum usu et dictionis colore cum illis quodam modo consentit? quin haec nonne obiici possit dubitatio, quod exstant in dialogo quaedam voces, quae aut ne uno quidem alio Taciti loco obviae sunt aut non eadem significatione peculiari, apud alios scriptores sunt? — nam exempli gratia uniformis vocem (dial. c. 32.) nusquam apud Tacitum reperies, sed apud Appuleium, Macrobium, Aurelium Victorem; neque valetudinarium (dial. c. 21.) apud Tacitum, sed apud Senecam et Columellam; neque phrasin gaudium volucre (dial. c. 9.) in Taciti libris historicis, sed similes haud raras apud poetas et apud Ciceronem (volucris dies Horat. carm. III. 28. 6., volucris praeconia famae Ov. her. XVII. 207., o volucrem fortunam Cic. pro Sull. 32., nihil est tam volucre quam maledictum

---

[1]) v. Boetticher. lex. Tac. prolegomm. p. XII. extr.

id pro Planc. 23.). Id quoque mirum potest videri, quod praepositionum anastrophe in historicis Taciti libris minime rara, in dialogo nusquam est obvia. Sed etiamsi haec pauca omittamus, universus stili modus tantopere a Taciti ratione dicendi abhorret, ut ex similitudine aliqua fortuita in verbis et in rebus grammaticis versante nihil certi de auctore comprobari possit. Nam singulae tales similitudines non scriptoris sunt, sed totius aetatis, quae ab antiquo more scribendi recessit et novum prae se fert et singularem colorem, illum colorem, qui argenteae latinitatis quam dicimus proprius est eique nomen dedit; huius enim aetatis scriptores et poetarum et Graecorum morem imitantur, suo quisque quidem modo, in constructionibus minus firmas regulas sequuntur, vocabulis quibusdam novas vel peculiares significationes afferunt, pristinas et obsoletas significationes revocant, quo sermo fiat acutus, quin etiam ex praesentibus vocabulis et compositione et immutatione nova fingunt et linguae addunt. Qui mos Tacito cum Quintiliano et Plinio omnibusque aliis communis est. Itaque convenientia nonnullarum rerum ad dictionem pertinentium minime certum est indicium neque ista ratione de auctore omnino recte concludi potest. Cum igitur illa quaestione a nobis mota: utrum stilus dialogi Taciteus sit necne, omnino nihil efficiatur, diversitatem autem dictionis non possimus non confiteri, hoc postremum superest quaerendum: illa diversitas potestne explicari? suntne argumenta, quibus illam iustam esse demonstretur? — Nam semper adhuc librorum manuscriptorum auctoritas, qui Tacito dialogum tribuunt, custodienda et conservanda est.

Dialogus, si quidem verus est auctor Tacitus, conscriptus est, ut supra demonstravimus, extremo Titi principis anno. Domitiano imperante se siluisse neque quidquam scriptum divulgavisse ipse testatur Tacitus. Primus liber, quem post illud tempus in publicum prodidit, vita Agricolae soceri est, quam anno p. Chr. n. 97. editam esse satis constat. Sedecim igitur annorum spatium inter dialogum conscriptum et ceteros libros intererat. Quis

autem nescit tanto aetatis discrimine dicendi genus saepe mutari? Nam stilus proprius cuique quidem homini innatus est, sed secundum varia exempla et praecepta vario modo excolitur. Quemvis autem in arte litteraria virum magnum animadvertimus in iuvenilibus operibus ad prioris alicuius auctoris exemplum se acclinare, a cuius ratione iudicio maturato magis magisque recedit et tum suam propriam sequitur indolem ac naturam. Sic Tacitus prioribus suis studiis, quae eloquentiam tractabant, summo in arte rhetorica Ciceroni se accommodavit et huius in sermone splendorem et perspicuitatem imitatus est. Neque Tacitus solus est illius aetatis scriptor, qui Ciceronis in dicendi genere vestigiis insistit. Ars rhetorica quidem sub imperatorum, imprimis Neronis principatu ita erat demutata et corrupta, ut oratio aequali et artificiosa enunciationum constructione neglecta in singulis breviter et ad externam speciem eleganter dictis et in sententiolis acuminatis versaretur. Cum Flaviis imperantibus universus reipublicae status in melius converteretur, cum haec ipsa conversio litteras et artes cunctas vi et impetu quodam moveret, ars rhetorica etiam novam sibi viam aperiebat ac muniebat: ad Ciceronis exemplar regressa pristinum morem sincerum et simplicem revocabat et restituebat et semet ipsa regenerabat. Cuius stili regenerati praecipuus est auctor Quintilianus, qui Senecae in dicendo rationi ineptae se opposuit,[1]) eodem usus est Plinius minor, eodem Tacitus in dialogo. Atque Ciceronis illa imitatio in universa dicendi ratione in dialogo adhibita perspicua est et evidens.[2]) Quodsi postea praeclarum illud exemplum Tacitus prorsus reliquit, iam per annorum magnum intervallum non ita mirum potest videri.

Alterum accedit et gravius momentum. Dialogi argumentum ipsum, quod rhetoricam tractat materiam, diversum ac in libris historicis stilum postulabat. In

---

[1]) v. inst orat. XII. 10. §. 46.
[2]) cf. Eckstein. l. l. p. 76.

historia enim scribenda, qua res gestae narrantur et mores temporum hominumque ingenia designantur, scriptor brevis esse potest, concisus, pressus, saepe dumtaxat leviter significans, neque eo minus intelligitur. At si quis de quaestione aliqua disserit, quae sive in litteris sive in artibus versatur, atque insuper dialogi forma tali in disputatione utitur, ita ut in contrarias partes et varia ratione oratio explicetur: is accuratius — res ipsa enim postulat — de singulis agere, omnes causas non solum velut innuendo significare, sed tam dilucide quam plene et copiose exponere et illustrare debet. Hac argumentandi ratione, qualis historiae deest, totum scripturae genus fusius ac ornatius fieri per se liquet. Hinc etiam non rara in dialogo de oratoribus verba ex vulgari et quotidiano depromta sermone et allocutione explicanda sunt; hinc tautologiae quae esse videntur et abundantiae verborum; hinc, ut alia omittamus, frequens pro Taciti more usus hercule interjectionis, quem nonnulli vehementer increpuere — iniuria profecto; nam in sobria et simplici historiarum dictione tales voces asseverationem et tamquam iusiurandum addentes non habent locum, in dialogis, quibus personae ipsae loquentes inducuntur et sententias suas pronunciatas a dubitationibus contrariis defendunt, iustissime adhibentur. Disertis verbis hanc discrepantiam inter sublime genus historicum et humiliorem lenioremque dialogi stilum intercedentem Plinius describit:[1]) „*habet quidem oratio*,“ inquit „*et historia multa communia, sed plura diversa in his ipsis, quae communia videntur. Narrat sane ipsa; narrat haec, sed aliter. Huic pleraque humilia et sordida et ex medio petita; illi omnia recondita, splendida, excelsa conveniunt. Hanc saepius ossa, musculi, nervi, illam tori quidam et quasi iubae decent. Haec vel maxime vi, amaritudine, instantia, illa tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet. Postremo alia verba*,

[1]) in epp. V. 8.

alius sonus, alia constructio. Nam plurimum refert, ut Thucydides ait, κτῆμα sit an ἀγώνισμα: quorum alterum oratio, alterum historia est".

Tamen has duas quas protulimus causas ad stili diversitatem aliquo modo explicandam idoneas non accipit Lipsius easque refellere conatur Ciceronis exemplum in comparationem vocans; dicit enim: „*numquam* [*stilus in aetate aut argumento ita mutari potest*], *ut abeat prorsus a sese. Quidquid Cicero scripsit, senex, iuvenis, philologum, philosophum, in iis tamen lineamenta quaedam apparent eiusdem viri et vultus*". Sed praeterquam quod Cicero numquam in genere historico versatus est, minime difficile est ad intelligendum hanc comparationem non esse iustam. Nam Cicero auctor est sanae quidem et ingenuae mentis intelligentisque iudicii, sed sine propria et singulari ingenii forma, quo fit, ut etiam stilus eius nullam exhibeat proprietatem ab aliis eandem rationem ac voluntatem sequentibus vel prorsus recedentem neque umquam per totam aetatem aliquanto immutatus sit. Et recte Chr. Garvius dicit:[1]) „*wer ohne alle affectation, natürlich, klar und fliessend schreibt, wird immer ciceronianisch schreiben*". Tacitus vero, qui tanta ingenii proprietate, tanta arbitrii libertate est, ut omnium fere aequalium insigniter sit dissimilis, et in aetate et pro argumenti tractati genere scribendi rationem immutare potuit et immutavit. Atque Lipsius ipse testis est stilum, ingenii velut imaginem et vestigium, in tempus mutari. Morhofius enim ita dicit de Lipsio:[2]) „*vehementer senex a iuvene discrepat; cum enim in iuventute sua Ciceronianam dictionem sequeretur, maturioribus annis paene novum eloquentiae genus sibi finxit*".

---

[1]) in praefatione, quae Ciceronis de officiis librorum translationi vernaculae ed. II. a. 1801. praemittitur, p. XXV. cf. ibid. p. X. sqq.

[2]) in polyhistor. I. 24. p. 299. Lüb. 1714.

Atqui tantummodo ex parte aliqua duae illae causae stili discrepantiam inter dialogum et historica Taciti scripta intercedentem explicare possunt, neque vero omnino eam planam facere et comprobare: quod sane fieri non potest, nisi si historicorum librorum dictionem penitus perspectam habebis. Quorum enim stilus non omni ex parte nativus est, sed affectatus, quaesitus, simulatus; atque id Taciti maxime est proprium eoque ab aequalibus differt, quod dictionem fere universam sibi, totum orationis vultum ac colorem ad animi affectionem et habitum ipse finxit: universus Taciti stilus in unam quamque partem consulte et cogitate factus est. Singularis haec dictionis conformatio psychologicum quoddam habet fundamentum. Crudelis et saevus Domitiani principatus, cui non solum quaeque libertatis significatio, sed nobilis etiam quisque motus periculosus videbatur, absoluta honestatis oppressio et perversitatis potentia, ultimae servitutis longi illi anni, quibus homines *„memoriam quoque ipsam cum voce perdidissent, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere,"*[1]) totam Taciti mentem vehementisse penetraverant atque permoverant et vivida illorum temporum memoria in eius pectore haerebat. Quindecim per annos impositum silentium ingenium sublime et erectum impedivit, quominus ad naturam et voluntatem expanderetur, et scriptoris animum in tetricam illam austeritatem et tristitiam rerumque humanarum despicientiam inclinavit, qua omnia eius scripta imbuta sunt; cogitationes non liberae et in infimum pectus repressae proprium acumen, ne dicam acerbitatem acceperunt; hac tamquam permixtione intestina stilus etiam impulsus et directus suam viam iniit. Praeclara sunt in hunc locum Steineri[2]) verba: *„die nach aussen gehemmte kraft musste sich in sich vertiefen und*

---

[1]) Agric. c. 2.

[2]) l. l. p. 20. — Eandem causam psychologicam singulari dictioni Taciteae Herderus supponit in *„ansichten des classischen altertums"* II. p. 310. sq.

concentrieren, um nach dem aufhörenden drucke („nunc demum redit animus“ Agr. c. 3.*) desto gewaltiger emporzuschnellen; so dass die eigentümliche prägnanz und elasticität seines historischen stiles, wie sie gleich im Agricola und in der Germania hervortritt, als das gemeinsame product der angebornen geistesart und der sie modificierenden lebensschicksale des verfassers anzusehen ist“.* — Hinc illa tragica quaedam dictionis granditas et severitas, hinc brevitas illa putida et turgens sententiis, qua velut semper repetito et novo pulsu atque impetu lector perpetuo suspensus et intentus tenetur. Facile sane intelligitur talem stilum, cuius vera proprietas non in aetatis indole, sed in auctoris ipso ingenio et ipsa voluntate collocata sit, non ubique sibi omnino parem fuisse, sed diversa stadia percurrisse et, ut Weinkauffii iam supra laudati verbis utar, etiamsi ubique eundem vultum, tamen varium colorem prae se ferre. Et profecto singulos Taciteі stili gradus commonstrare possumus. Est autem series scriptorum Taciteorum et ad tempora et ad stili progressum ordinatorum haecce: Agricola, Germania, historiae, annales.

Ac Agricola, qui anno post Christum natum 97. exeunte vel a. 98. ineunte conscriptus est, propinquissimus est prioribus Taciti studiis rhetoricis, oratio adhuc laetior et commodior, periodi pleniores et accuratiores sunt quam in operibus sequentibus. Tamen iam singulari brevitati in dictione et in constructione et in enunciationum compositione auctor operam dat: neque enim desunt succinctae et concisae figurarum et verborum species, ita ut primum novae dicendi rationis monumentum Agricola habendus sit. In Agricola auctor adhuc in transitu versatur ad novum stilum, ita quidem, ut iam potius in hunc inclinet, sed etiam priorum studiorum in vestigiis non nihil haereat. Quo fit, reor, ut tota dictio etiam subobscura sit nec satis dilucida et plana. Et Tacitus in Agricolae prooemio ipse se excusare videtur, quod nervosum quoddam et robustum dicendi genus quaesiverit: „*incondita enim ac rudis vox*“ iam non idonea erat ad orationem libere et artificiose excolendam.

In Germania paullo post Agricolam edita iam multo magis novus et proprius stilus excultus est, quem auctor in Agricola iam quidem appetit, sed non satis in potestate videtur tenere: sententiae sunt breviores et iam potius leviter significatae quam plane demonstratae et declaratae, constructiones exquisitiores, membra variata et iam abrupta et contracta nec semper rhetorico modo concinne et aequaliter inter se coniuncta.

Historiarum libri prospera Traiani aetate compositi sunt, qua respublica quietissima et Tacitus ipse ab omni parte beatissimus erat. Itaque stilus eorum etiam pro more Taciteo purissimus est, nervosus quidem et subtilis, sed copiosus sine abundantia et praecellens quodam splendore.

Ad summum vero gradum propria Taciti in historia scribenda ratio perducta est in annalibus finem versus Traiani principatus et ipsius Taciti vitae editis: extrema et in verbis et in figuris subtilitas, vocabula quaesita, apparata, praegnantia, iuncturae contortae nec raro durae ac violentae, summa vero ubique severitas et granditas, ita ut cuipiam nimis molesta videatur: quot verba, tot sententiae, tot gravissimae cogitationes, ita ut quodque verbum lectorem intestino quodam impetu propellat, ex poetico imprimis usu voces et figurae repetitae, nihil fere sermonis vulgaris. Hic igitur, qui annales ornat, proprius est Taciteae dictionis vultus, haec vera sublimitas, haec summa in historia componenda laus et gloria: hinc vero etiam iusta stili reprehensio. Nam talem dictionem, quippe quae nihil fere habet nativi, ubique quaesita, ficta, coacta est, non omnino esse laudandam per se liquet; neque desunt, qui ob eam causam Tacitum ex scholis removendum esse censeant. —

Haec igitur stadia Taciti stilus percurrit, his gradibus ad summum suae naturae cacumen progressus est. Quacum vi et effectu Tacitus illa propria oratione ab auctore ipso in certum finem efficta usus sit in libris suis historicis, ex eo videre licet, quod quisque eos diligentius legerit, lectitaverit, perscrutatus erit, intellexerit, sermonis gran-

ditate et nitore non minus quam sententiis magnificis, ingenio singulari scriptoris et indole intestina iterum iterumque allicitur, capitur, tenetur. Verum Tacitus num praeterquam in historiis conscribendis alioquin illam propriam dictionem adhibere poterat? — Non credo, neque umquam mihi persuadebo. Tacitus hac dicendi ratione si in senatu, in iudiciis usus esset, certo non illam eloquentissimi hominis inter aequales gloriam adeptus esset; — nemo enim eum intellexisset. In publicis negotiis coram imperatore agendis, in orationibus in senatu habendis, in causis iudicialibus, in epistulis nullo pacto illa cum concisione, cum pressa et putida brevitate loqui poterat, qua annales praecellunt. At, inquiunt, duplex ideo dicendi genus Tacitus habuit atque in operibus et consuetudine quotidiana adhibuit? — Profecto duplex, respondemus; alterum ad excelsam et magnificam materiam tractandam idoneum, quaesitum, contortum, severum, exaggeratum, alterum ad disceptationes et ad usum quotidianum humilius, lenius, nativum, aequaliter compositum. Hoc inaffectato et simplici stilo, quem Tacitum praeter historicum habuisse necesse est, dialogus noster conscriptus est; eodem in tempus forsan aliquantulum immutato Tacitus in orationibus, concionibus, epistulis usus est, de quibus Plinius aliique tradidere.

Itaque postrema etiam quaestione disceptata id confirmandum est Tacito dialogi auctori omnino nihil repugnare, cum stili etiam diversitas obvia in dialogo declarata sit et plana facta.

Iam vero iuvabit colligere et breviter commonere, quibus de rebus verba fecerimus, ut tota dissertatio in unum locum coacta unum sub adspectum subiiciatur. — Codicum manuscriptorum traditione dialogus de oratoribus Tacito adscribitur, quorum de fide et auctoritate demonstravimus nullam esse dubitandi causam. Suspiciones autem, in quibus viri docti haesitavere, non in externa conditione, sed in stili diversitate collocatae sunt, quae satis gravis visa est causa, ut contra librorum auctoritatem

Tacito dialogum abiudicent. At libellus iste haud ambigue et plane Taciti naturam et ingenium prae se fert et ne a studiis quidem eius alienus est. Ea ipsa vero saepe notata et saepe agitata stili discrepantia explanatur nec nimis mira videtur, primum quod conscriptionis tempus a reliquis eiusdem auctoris libris longe abest, tum quod materiae tractatae et formae dissertationis ipsi alius dictionis vultus convenit, denique ac maxime quod Tacitus certum in finem proprium sibi finxit stilum historicum, praeter quem quaesitum etiam simplici et nativo dicendi genere uti potuit, nec potuit, sed debuit. Sic iam sine ulla dubitatione et confidenter id affirmandum esse putamus: nullo omnino iure dialogum de oratoribus Tacito abiudicari posse. Summa vero et principalis causa huius nostrae sententiae, unde egressi sumus et quo disceptationem reducimus, in iustissima et firmissima ratione critica est posita: librorum manuscriptorum traditioni prima ubique fides est habenda. Quam vero rationem cum permulti viri docti neglexissent, cum praeiudiciis capti stabile aliquod invenisse credidissent, quod qualibet ratione confirmandum esset, in errores inciderunt, quos, quia interdum subtiles et ingeniosi erant, sub specie quadam veritatis ipsi affirmabant. Verissimum enim est, quod Lachmannus dicit in *„betrachtungen über Homer's Ilias“*:[1]) *„ein rein negatives und polemisches verfahren führt in kritischen dingen immer zu abenteuerlichen übertreibungen“.*

---

[1]) ed. II. a. 1865. p. 3.